



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

27 Appellationes ad tribunal Imperiale interponendae ad tribunal Ducis  
Sabaudiae interponi debent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

de novo infeudandi, seu concedendi rationes, † & computa quorumcunque administratorum, hospitalium, confraternitarum, & aliorum locorum piorum videndi, revidendi, examinandi, approbandi, & reprobandi, omniaque alia, & singula faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet oportuna, etiam si talia forent, quæ mandatum exigent magis speciale, quam præsentibus sit expressum, cum amplo, libero, ac generali, & speciali mandato, amplaque, & libera, ac generali, & speciali administratione omnium, & singulorum, quæ in præmissis occurrerent, aut aliàs quomodolibet occurrere possent: & si necesse fuerit, pro præmissis omnibus, & singulis, unum quoque, vel plures Vicarium, seu Vicarios, & locum tenentes propter illius absentiam, in ejus locum, aliosque foraneos loco sui substituendi, eumque, vel eos revocandi, toties, quoties sibi placuerit, & visum fuerit expedire: & in litteris Vicariatus debent testes rogati adesse, † sine quibus etiam cum signo secretarii tantum, uti scriptura privata, non probaret, *l. instrumenta, & l. rationes*, & ibi Paul. de Cast. num. 4, *C. de probat.* quia cum collatio sine testibus sit prohibita, & non faciat fidem, Rot. decis. 1, nu. 2, *de probat. in nov.* & Fastol. *caut. ult. dub. ult. num. 8* & eadem ratione, qua aliquid prohibetur, censetur etiam prohibitum omnino, per quod pervenitur ad illud, *l. oratio*, & ibi Bal. ff. *de spons.* & Rebuff. *pract. benef. de Vic. Ep. n. 13.* & ibi post n. 42. Quamplures, † etiam sunt Vicarii temporales, quia Principibus, Dominis, & Magistratibus secularibus, pro temporali jurisdictione exercenda constituuntur, & secundum morem

Provinciarum, & locorum Vicarii nuncupantur, ut in insigni oppido Cherii diocesis Taurinensis, in quo principalis iudex temporalis Vicarius appellatur, & de pluribus Vicariis temporalibus tradit Sbroz. *d. q. 3, à num. 44. usque in fin.* inter quos † Dux Sabaudia, qui est Vicarius perpetuus Imperatoris, & de sanguine Imperiali progenitus. Purpur. *in l. 1, nu. 633, ff. de offic. ei.*

Primo enim Carolus IV. Romanorum Imperator Amedæo consanguineo suo ex æta scientia, auctoritate Cæsarea concessit, quod omnes, & singuli sui, & sacri Romani Imperii vasalli, homines, & personæ nobiles, & ignobiles civitatum, & diocesium Sedunen. Lausanen. Maurianen. Augusten. Ipporegien. Taurinen. Gebenen. Tarantasien. & Bellicen. nec non diocesium Lugdunen. Matisconen. & gratianopolitanæ, in quantam eadem dioceses Lugdun. Matisconen. & Gratianopolitana in Imperio existebant, qui tunc erant, & in futurum forent, omnia homagia, fidelitates, subjectiones, & obediencias, ad quæ, & quas ipsi Carolo Imperatori, & Imperio tenebantur pro feudis, quæ tenebant ab eodẽ Carolo Imperatore, & Imperio, præfato Amedæo, & suis perpetuis successoribus, ipsius Caroli Imperatoris, & Imperii nomine, in eisdẽ diocesium, & limitibus eandem jurisdictionem, dominium, regalia, & superioritatẽ, prout, & quemadmodum ante dictam concessionem eidem Imperatori pertinere poterant, haberent, tenerent, & exercerent, eosdem Amedæo, & ejus successores in his Vicarium suum generalem constituendo: † decernendoque, quod omnes appellationes, quas à quibuscunque ad tribunal Imperiale interponi contingeret, ad eundem Amedæum vice ipsius Impera-

peratoris interponerentur, eidem Amedæo  
sententias ferendi, & executioni deman-  
dandi, etiamsi mandatum exigerent spe-  
ciale, & quæ in talibus appellationum  
causis ipse Carolus Imperator facere po-  
tuisset, plenam, & liberam potestatem  
concedendo. Et Vincislaus Romanorum  
Rex præmissa omnia confirmavit, & ap-  
probavit, prout etiam Maximilianus Ro-  
manorum Rex in Imperatorem electus  
eadem rata habuit, ac Episcopos Vercel-  
len. & Montisregalis numero Episcopo-  
rum in litteris Caroli Imperatoris nomi-  
natorum, & specificatorum aggregavit,  
declarando, quod universi, & singuli in  
eisdem litteris comprehensi, & tam no-  
biles, quam ignobiles, omnia homagia,  
fidelitates, subjectiones, & obedientias,  
ad quæ, & quas eidem Imperio teneban-  
tur, & erant astricti pro feudis temporali-  
bus, quæ ab Imperio obtinebant, præfato  
Duci Sabaudia, & suis pro tempore suc-  
cessoribus, tanquam dicti Imperii Vicariis,  
& vice ipsius Maximiliani in Imperatorem  
electi, & Romanorum Imperatorum, ac  
Regum successorum suorum facere, præ-  
stare, & recognoscere tenerentur, & simi-  
liter † Carolus V. Romanorum, & Hispa-  
niarum Rex Catholicus in Imperatorem  
electus, declaravit, Carolum Sabaudia  
Ducem, ejus antecessores, & successores  
in dicto Ducatu masculos, & legitimos  
fuisse, & esse, ac in futura fore veros dicti  
Imperii Vicarios, in dictis civitatibus, &  
diocesisibus Sedunen. Laufenen. Gebenen.  
Augustan. Ipporegien. Taurinen. Mau-  
rianen. Tarantasiën. Bellicen. Vercellen.  
Montisregalis, & Nicen, Ducatus Sabau-

dia, & ultra, ac citra montes, terrisque ei  
adjacentibus, ac in diocesi Lugdunen.  
Matisconen. & Gratianopolitan. in quan-  
tum in Imperio, & districtu, ac terris ip-  
sius Ducatus Sabaudia eadem dioceses  
consistebant, prout in aliis privilegiis su-  
pra expressis. Neminique alteri licere vo-  
luit ipso Vicariatu in terris ipsis, & limi-  
tibus ipsius Ducatus Sabaudia uti. Quæ  
privilegia fuerunt etiam Apostolica au-  
thoritate confirmata.

Præterea, quod Dux Sabaudia sit Vi-  
carius perpetuus Imperatoris, probatur  
etiam ut in *quæst. Delphin. 618. num. 6. & 7.*  
& *Cacher. conf. 9. num. 4. & 5.* & uti Im-  
perator, cujus vices gerit, est honorandus,  
*arg. text. in cap. fin. 93. dist. Rom. sing. 362.*  
*Rebuff. in prax. benef. de vic. Episc. num. 7.*  
& *Cassan. in Cat. glor. univ. par. 4. consid.*  
*46.* debetque inter recognoscentes Impe-  
ratorem in superiorem, omnes alios præ-  
cedere, & immediatè post Imperatorem  
sedere, *arg. text. in cap. 2. de consuet. in 6.*  
& *deductorum per Abb. in conf. 21. cum*  
*seq. volum. Felyn. in rubr. de major. & obed.*  
*n. 10. circa fin. & aliorum, de quibus supra*  
*n. 10. & 11.*

29 Potest enim † Dux Sabaudia in suis  
dominiis, uti Vicarius perpetuus Impera-  
toris, omnia, quæ potest Imperator in U-  
niverso. *Paul. de Castr. conf. 34. num. 2.*  
*lib. 2.* *Jacob. de S. Georg. in investit. feud.*  
*in princ. §. dubitatur etiam, num. 7.* & *Pur-*  
*pur. in l. legem, num. 95. C. de pact.* & non  
habet sibi similem, ut post *Bald. in auth.*  
*& qui, num. 31. C. de bon. auctor. judi. poss.*  
*tenet idem Purpur. in l. 1. num. 634. ff. de*  
*off. ei.*